

tem nostram. Quod si determinat nostram, non indeterminate decernit, nec decretum indifferens est, sed determinatum et efficax ex se sine hoc quod contingentiam nostræ libertatis lædat. Denique, videri potest Scotus in I, distinct. xli, quæstione unica, §. Primum istorum, et distinct. xlvii, in principio, et §. Ad argumenta, ubi expresse docet quod Deus nescit futurum contingens sine determinatione voluntatis suæ, et sic non scit peccatum futurum per nudam permissionem, sed requiritur quod sciat se cooperaturum isti in actu peccandi; seu in ipso materiali peccati, si sit peccatum commissionis, vel non cooperaturum, si sit peccatum omissionis: ergo in sententia Scoti fixum est quod Deus non nisi in suo decreto certitudinaliter scit futuram cooperationem liberi arbitrii: ergo eadem ratione tenetur dicere quod decretum illud non est indifferens et indeterminatum, et expectans efficaciam, et determinationem ex consensu nostro prævisio ante omne decretum, cum talis prævisio extra decretum apud Scotum non detur, et talis determinatio nostræ voluntatis, ex determinatione et efficacia Dei dependeat, ut ibi certo sciatur.

Quapropter Scotum sequuntur communiter ejus discipuli, Bassolis, Mayron, Lychetus, Orbelis, Nise, et quos citat Villegas supradicta controversia xii, quæstione priori, c. ii.

XIX. Eandem nostram sententiam, et D. Thomæ docet Alexander Alensis, in I part. quæst. xxiii de scientia Dei, membro iii, art. iv, ubi docet quod: « Si Deus providit me iturum Romam, secundum causam superiorem est immutabile, secundum causam inferiorem mutabile, cum Deus præviderit et disposerit quod iste actus eliciatur a

mea voluntate non coacta. Non sequitur ergo, hoc est immutabile secundum causam superiorem: ergo est immutabile; imo est quid et simpliciter: quod enim dicitur secundum causam superiorem immutabile, secundum quid dicitur, et ideo secundum quid est evenire, quia illa causa superior non est determinata causa hujus, nec cogens inferiorem ad hoc quod res sit. » Ubi salvat Alensis immutabilitatem in effectibus ratione causæ superioris, sic providentis et disponentis quod ego eliciam talem actum, cum quo tamen stat me operari libere et mutabiliter, quia nec Deus est causa determinata naturaliter, nec coactiva nostræ voluntatis, et sic non necessitat illam, sed immutabili decreto facit me libere velle. Et idem Alensis in eadem prima parte, quæst. xl, membr. i dicit quod: « In bonis actibus voluntas nostra subjicitur divinæ voluntati ut efficiens sub efficienti, juxta illud: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. » At Deum efficere per modum efficientis quod nos faciamus, est vere non supponere consensum nostrum, sed causare: ergo non ex ipso consensu, sed antecedenter ad illum efficax est.

XX. Eandem sententiam docet S. Bonaventura, præsertim in ii, dist. xxvi, q. xxvi, ubi quærit an gratia habeat rationem motoris in animam. Et resolvit quod sic: « Gratia, inquit, non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, et liberum arbitrium movet. Unde non est aliud dicere, gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse instrumentum Spiritus sancti, ad movendum liberum arbitrium: » et infra: « Deus per gratiam movet voluntatem, nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas vult sic mo-

veri a Deo. Itaque voluntas vult sic moveri, et gratia facit quod ipsa velit sic moveri a Deo. » Ecce manifestate ponit s. doctor motionem gratiæ factam in ipsum liberum arbitrium, quæ utique antecedit determinationem et consensum talis liberi arbitrii, alias non esset motio facta in ipsum liberum arbitrium, nec gratia faceret quod ipsa voluntas vellet sic moveri, si solum comitaretur ejus operationem, et multo minus, si expectat ejus consensum et determinationem ut efficax et determinata sit; sic enim non faceret ut ipsa vellet sic moveri. Et in eodem secundo sentent. dist. xxxvii, q. i, art. i, loquens quomodo Deus ad actionem ipsam, quæ est in peccato primordialiter concurrat, solutione ad v, sic dicit: « Ad illud quod quæritur, an tota operatio a Deo est, etc. dicendum quod tota est a Deo, et tota a libero arbitrio: non enim est intelligendum quod Deus cooperatur libero arbitrio, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri, sed quia Deus est intime agens in omni actione, et intimus est ipsi potentiæ operanti, ita quod potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso. » Ecce manifestissime ponit S. Bonaventura illud ipsum quod cooperando causat nostra voluntas, quod est ipsa determinatio et consensus noster, esse etiam ex Deo, et ab ipso causari. Si causat: ergo non supponit: ergo non ex ipso efficaciam et determinationem habet, ex se autem indeterminationem et indifferentiam, quia indifferens, et indeterminatum, ut tale, non causat. Nec obstat quod ibi, solutione ad ultimum dicit s. doctor quod: « In operibus meritoriis requiritur excitatio, quæ est effectus gratiæ prævenientis, in aliis autem non est nisi cooperatio divinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter, et præsentialiter,

sicut conservat eam in essendo, sic adjuvat in operando, propterea quod conceditur ibi esse cooperatio, non præventio. » Quibus ultimis verbis utuntur oppositi auctores ad dicendum S. Bonaventuram esse ejus sententiæ, quia negat præventionem, et tantum concedit cooperationem, quæ utique pertinet ad comitantem concursum, et non amplius. Sed hoc non obstat, quia s. doctor clare explicat se loqui de præventionem excitante, quæ moralis est, et non invenitur in aliis actionibus bonis, ut ibi dicit: non loquitur autem de cooperatione prius influente et movente voluntatem, ut satis se explicaverat, et ibi attingit, dum dicit quod cooperatio divinæ virtutis sicut conservat eam in essendo, sic adjuvat in operando, conservatio autem in essendo per causalitatem divinam est in entitatem rei: ergo et auxilium in operando per modum causalitatis se habet.

XXI. Minus obstat quod ex Alensi, et eodem S. Bonaventura affert Vasquez dist. xcix, c. vii, num. xlvi, scilicet quod dicunt: « Non obstante providentia Dei, quæ disponit res fore, actus nostros esse liberos et voluntarios, quia divina voluntas non est tota causa, sed cum libero arbitrio, quod cum sit proxima causa, modificat concursum primæ; » quod verum esse non potest, si efficaciam Dei prior esset determinatione nostra. Sed hæc consequentia Vasquez nulla est, nec ad mentem tantorum doctorum, quia etsi divina voluntas non sit tota causa, quasi liberum arbitrium se habeat ut merum instrumentum et inanime quoddam, est tamen superior causa non mere cooperans, sicut cum duo ferunt lapidem, sed intime dans ipso libero arbitrio, et causans id quod ab eo exit.

Omitto Ægidium Romanum cardinalem in ii, dist. v, q. ii et dist.



XIV, q. III et dist. XXXVI, art. III: Rorardum Tapper, lib. VII de libero arbitrio, pag. CCXVI et CCXVII et pag. CCXXVI: Driedonem, de concordia liberi arbitrii, pag. XLIII et XLVI, de captivitate et redemptione generis humani II c. tractatu VI: Vegam, in capite V Concilii Tridentini, lib. VI de justificatione, et alios plures.

## TESTIMONIUM CATECHISMI PII V.

XXII. Tantam ergo habentes impositam nubem testium et gravissimorum doctorum, qui sententiam hanc confirmarunt et docuerunt, claudat eorum agmen testimonium omnibus majus, nempe ex catechismo edito per Pium V ex decreto Concilii Tridentini et per ipsum pontificem toti Ecclesiæ propositum, ut inde quasi ex purissimo fonte doceri possint a parochis fideles, et in sana doctrina instrui. Explicans ergo in symbolo fidei, articulum omnipotentiae divinæ, num. XXII, pag. XXXIII, sic inquit: « Non solum autem Deus universa quæ sunt tuetur, atque administrat, verum etiam quæ moventur, et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediatur, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertingat, et quemadmodum sapiens testatur, attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant, non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, et sumus. » Ubi pondero explicationem istam ut pertinentem ad articulum omnipotentiae divinæ, tradi a catechismo verbis clarissime explicantibus nostram sententiam, videlicet

Deum intima virtute ad motum, actionemque impellere: ergo non supponit, aut expectat a nobis determinationem, et consensum, si ad illum motum impellit. Deinde, quod non impediendo efficientiam secundarum causarum, tamen prævenit illas utique ad efficientiam earum. Quod si prævenit hanc efficientiam, non ergo supponit illam, ut habeat inde efficaciam, sed ex se antecederet illam habet, alias quomodo sine efficacia præveniret? Tandem occultissimam vim ponit, qua ad singula pertingit, quod utique non est necesse si indifferenter, et indeterminate se habet, et offert concursus quem determinet ipsa causa secunda, sic enim non est vis occultissima pertingens ad singula, sed expectans a singulis, ut determinate et efficaciter se habeat erga illa. Hoc autem ipsum probat illis testimoniis Scripturæ, ex Sapientia, et ex Paulo, de quibus, et aliis similibus dicemus statim.

## ARTICULUS V.

*Fundamenta ex ratione.*

Notandum est quod duplicis generis fundamenta assignare possumus. Quædam pure metaphysica, et quasi a priori. Alia theologica ex suppositione eorum quæ Scriptura, et Concilia docent, cum quibus stare non potest, aut non ita accommodari potest, nisi sit assertio efficaciam divinæ voluntatis ex natura sua.

I. A priori fundatur hæc veritas, metaphysice procedendo in universalissima causalitate, et efficientia divina, et dominio quod habet supra omnes motus, et actus, et cooperationes causarum secundarum, etiam ut propriæ sunt ipsarum creaturarum; sic enim adhuc subjiuntur,

et subordinatur causalitati, et virtuti divinæ, ut primæ radici. Et secundo fundatur in summa infallibilitate, quam habet voluntas divina ab intrinseco sui, et non ex præsuppositione alicujus causæ creatæ extra se.

Sed tamen antequam hæc duo explicentur, oportet probare quod non est contradictio aliqua in terminis, neque ulla implicatio quod libertas creatæ componatur cum efficacia intrinseca divinæ voluntatis, atque adeo quod loquendo de potentia absoluta Dei, nulla est repugnantia quod per actum suæ voluntatis efficacem et determinatum ex natura sua (id est, non expectantem determinationem nostri consensus) possit simul voluntas nostra libere operari, et sine præjudicio suæ libertatis.

Hoc autem probatur dupliciter. Primo a posteriori, secundo a priori. A posteriori, quia Christus ut homo prædeterminatus fuit ad opera sibi præcepta, v. g. ad moriendum ex præcepto Patris, et ad præcepta naturalia, et tamen libere obedivit et passus est: ergo libertas nostræ actionis compatitur cum efficacia Dei determinante ad unum. Minor constat, quia Christus in sustinendo mortem exercuit actum excellentissimæ charitatis, et obedientiæ, ut Scriptura aperte dicit: *Factus obediens usque ad mortem, etc. Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat, etc.* ergo illi actus fuerunt liberi, te fuerunt actus virtutis. Major probatur, quia stante præcepto non poterat stare oppositum quod Christus non impleverit illud, quia erat impeccabilis, et hoc volebat Deus: ergo voluntate Dei præceptiva stante, erat determinatus ad velle, et in sensu composito non poterat non velle. Nec obstat quod poterat velle hoc, vel illo actu in individuo, et sic poterat non velle, non absolute, sed quoad hunc actum. Contra enim est, quia velle hoc

vel illo actu, non est libertas contradictionis, quia contradictio est inter negationem puram, et positivum, sicut explicat Concilium Tridentinum abjicere vocationem, vel consentire, et sicut in nobis est penes velle et non velle, non penes hoc velle et illud velle, quæ sunt duo positivi actus et uterque volitio et consensus. Et præterea, quia idem dicemus de efficacia antecedente quod cum illa stat posse facere hunc actum vel illum in singulari non facere, et simpliciter non facere, et sic conservabit libertatem.

II. Secundo, probatur idem a priori, quia vel Deus est prima radix, et principium possibilitatis actus liberi ut liberi, vel non. Si non: ergo datur possibilitas alicujus rei creatæ non derivata ab omnipotentia Dei, et sic illa creatura, quæ est actus liber ut liber, non est a Deo, nec ejus potentiae subjecta, quia si non est possibilis per talem potentiam, ergo nec factibilis per illam. Dicere autem quod actum esse liberum, est aliquid rationis, et fictum, omnino destandum est: nam quidquid sit, actus liber includat aliquem respectum rationis ad indifferentiam iudicii, tamen absolute, et realiter ratio liberi non potest consistere in aliquo rationis, et in aliquo ficto, cum operatio libera in eodem genere inventa perfectior sit naturali, seu necessaria: esse autem operationem necessariam non est quid fictum et rationis: ergo neque esse liberam, cum potius in hoc quod homo sit liber, magis assimiletur Deo, et eliciendo actus liberos assimilatur Deo in actu secundo. Si autem Deus est causa prima, et radix possibilitatis actus liberi ut liberi, necesse est quod ita sit causa possibilitatis unius actus determinati, v. g. consensus ad amorem, quod etiam sit causa possibilitatis ad oppositum, scilicet ad dissensum, alias non esset possibilitas